



Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 3. Alia Oratio brevior

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

causa debitor sum : omnibus item amicis , familiaribus , benefactoribus , confessariis , & superioribus meis : omnibus illis quorum confessiones audiui , & qui se meo patrocinio , curæ ac tutelæ commendaverunt ; Exue illos à peccatis præteritis , custodi ab imminentibus , præserva à futuris. Vincat te pietas tua , Rex æternæ , cui omnia vivunt , & propitiare animabus omnium fidelium defunctorum , parentum meorum , consanguineorum , affinium , amicorum , & benefactorum , super quas invocatum est nomen tuum. Ostende illis faciem tuam , & pone in conspectu tuo preces Ecclesiæ tuæ , sponsæ tuæ , quæ pro illis clamat ad te die ac nocte. Libera eas de ore leonis , ut cantare incipiant canticum novum , misericordias tuas fideles , teque collaudent cum ceteris Sanctis tuis , gloriosum & benedictum in secula seculorum. Amen.

§. III. *Alia Oratio brevior.*

AD te à quo sum , & per quem vivo , sentio , & intelligo : ad te summum bonum meum , qui es principium meum , & finis ultimus : ad te levo manus meas & cor meum , sancta Trinitas unus Deus , teque omnium creaturarum possibili affectu laudo , glorifico , & adoro toto corde , & corpore prostratus , atque in centrum terræ , meique nihili infra omnes creaturas me prostratus abdo ac demitto. Dignus es Domine omni honore , & gloria , & gratiarum actione , quia cum non essem , creasti me ad imaginem , & similitudinem tuam : & cum perditus essem , pretioso Filii tui sanguine redemisti me , & sancti Spiritus gratia sanctificasti me : à multis malis me præservasti , peccantem tolerasti , & ad pœnitentiam expectasti. Insuper me indignissimum servum tuum spectabilem fecisti in domo tua , ut offerrem tibi quotidie sacrificium Corporis & Sanguinis Domini mei Jesu Christi. Pro his , & aliis innumeris beneficiis , quæ mihi misericorditer præstitisti , præsertim quòd hanc noctem tranquillam & incolumem concesseris , gratias ago tibi , rogans humiliter ut delicta

mea multa & magna dimittas mihi; ea enim agnosco, & confiteor, cum vero proposito emendationis. Utinam te infinito amore dignissimum semper perfectè amassem, & nunquam tot peccatis, & negligentis offendissem. Doleo de his omnibus & singulis, ex totis præcordiis meis, purè propter te Deum meum summe amabilem. Ignosce mihi Domine, & infunde timorem tuum sanctum, fidem vivam, firmam spem, ardentem charitatem, & omnes virtutes; quibus indigeo. Custodi me hac die ab omni malo, & doce me facere voluntatem tuam. Dirige omnia verba, cogitationes, & opera mea ad majorem tui gloriam, & salutem animæ meæ, & fac me ita creaturis uti, ne me separent ab amore tuo. portas sensuum meorum ita custodi, ne quis eas intret nisi missus à te. Propter te Deus meus, conabor hodie omnia peccata & defectus cavere, præsertim loquacitatem: & proficere in virtutibus, præcipuè in humilitate. Da tu quod jubes, & jube quod vis: Credo, Domine, quicquid per Ecclesiam tuam Catholicam credendum proposuisti. Omnem spem meam in tua bonitate, meritisque Domini mei Jesu Christi repono: Dili- go te totis viribus, tota mente, tota virtute. Tuæ legi obediens ero usque ad mortem, quam pro tuo amore & honore lubens subire paratus sum, quacumque hora tibi placuerit. Adversa omnia de manu tua libenter accepto, omnes amicos, & inimicos propter te, & in te diligere volo; si aliter fecero, errantem revoca, & meam etiam rebellem ad te compelle propitius voluntatem. Renovo vota mea, quæ distinxerunt labia mea, eaque tibi offero, & cum illis quicquid habeo, quicquid sum, quicquid possum. Offero tibi Filii tui ardentissimum in te amorem, beatæ Virginis sanctitatem, puritatem Angelorum, Patriarcharum fidem, Prophetarum constantiam, labores Apostolorum, pœnas Martyrum, Confessorum patientiam, castimoniam Virginum, omniumque Justorum virtutes; ut ipsi, qui tibi placent, pro me intercedant & meam suppleant imperfectionem. Quod si mihi tot vitæ

forent, quot stellæ in cælo: si omnia regna, & divitias mundi possiderem, cuncta libenter Majestatis tuæ obsequio impenderem. Confirma Domine hanc voluntatem, & exaudi orationem servi tui. Tu quoque post Deum tota ratio spei meæ, beatissima Virgo Maria, Domina & Patrona mea benignissima, adesto mihi miserrimo peccatori. Gratas ago tibi quod tuis meritis, & patrocinio usque ad hanc horam perveni. Ego me hodie, & quotidie tuæ fidei & tuitioni committo. Suscipe me, Mater amabilissima in servum, & filium tuum indignissimum, & præserva ab omni malo animam meam, nec me deseras in hora mortis. Impetra mihi omnium peccatorum remissionem, impetra perfectam mortificationem, & introversionem, ut sim homo secundum cor Dei.

Et tu Angele sancte, potentissime, & fidelissime Custos animæ meæ, defende me ab omnibus insidiis malignorum spirituum, omnes peccandi occasiones amove, sanctas cogitationes inspira, dirige verba & opera mea secundum Dei voluntatem, tuere me in ultimo vitæ agone, & pro me semper intercede. Gratas tibi ago pro custodia, quam indigno clienti tuo hac nocte impendisti; omnesque tecum beatissimos Spiritus imploro, ut in omnibus necessitatibus, & angustiis meis adsistant mihi.

Vos item invoco, Sancti & Electi Dei omnes, vos præfertim Patroni mei suavissimi, & quandoquidem de vestra salute securi estis, de mea solliciti esse dignemini. Laudate, benedicite, & superexaltate Dominum mecum, & pro me; mihi que gratiam obtinete illum perfecte cognoscendi, & amandi in via, ut demum in patria eo perfruar vobiscum in æternum.

Scd nunc iterum coram te effundo deprecationem meam Domine Deus meus, tibi que omnes hodie commendo, pro quibus orare teneor, ut in cunctis necessitatibus suis opem tuam sibi sentiant adesse. Respice Ecclesiam tuam, eamque pacificare, & coadunare digneris, unâ cum Papa nostro N. cunctisque Episcopis, & Pastoribus, omnique

Clero : fac eos in tuo servitio ferventes , ut cum grege sibi commisso ad vitam perveniant sempiternam. Respice Reges , & Principes , omnemque Magistratum : da illis sapientiam , & concordiam , zelumque justitię & Religionis. Commendo tibi omnes domesticos , & familiares , consanguineos , & affines , benefactores , & adversarios meos ; concede omnibus & singulis , quod scis eis expedire ad salutem mentis & corporis. Da afflictis consolationem ; infirmis sanitatem , peccatoribus veniam , justis perseverantiam , vivis pacem , & requiem defunctis. Amen.

§. IV. *Tertia Oratio brevissima.*

ANte thronum glorię tuę , mente & corpore procumbens , ô Beatissima Trinitas , Pater , Filius , & Spiritus Sanctus , Deus meus & omnia , tanquam figmentum manuum tuarum à te in omnibus , & per omnia dependens , omni qua possum humilitate , & devotione adoro te : atque ex intimis visceribus tibi gratias ago pro creatione , redemptione , conservacione , sanctissimis Sacramentis , vocatione ad statum religiosum , & pro aliis innumeris beneficiis , mihi & toti mundo concessis ; præsertim verò quia ad initium hujus diei me incolumem perduxisti : Milia millium cælestium agminum ministrantium tibi , & decies millies centena millia assistentium tibi , te ex me glorificent : atque omnes creaturę collaudent , & nomen tuum gloriosum superexaltent in secula. Mihi verò Domine , rubor confusionis est , neque audeo oculos meos levare ad te , quia peccavi tibi , & omnem justitiam tuam prævaricatus sum. Ignosce confitenti , Pater misericordiarum , & vide dolorem meum. Detestor omnia peccata mea , abominor ingratitude meam , & malo incurere omnem pœnam quàm deinceps te offendere. Si lapsus fuero , operi manuum tuarum porrige dexteram , & dirige gressus meos in semitis tuis. Aufer à me quicquid tibi displicet , & da quicquid tibi placet. Posside me jugiter secundum beneplacitum tuum , & perfectionem in